



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Theologicæ Pertinentes Ad Anteriores Theses  
Defensas In Collegio Adriani VI. Pontificis**

**Huygens, Gommarus**

**Lovanii, [1684?]**

Pertinens.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40515**

Augustini debent fieri ex Charitate, id est, ex casta Dei dilectione. Præterea si, ut vult Anti-thesium Auctor, ex mente Augustini Deum laudemus per opera bona non facta ex casta Dei dilectione, ergo laudamus per opera non facta ex gratia, quod nunquam admittere potuit tantus gratiæ defensor; licet id satis consequenter admittere posset, qui Charitatem vult esse amorem boni honesti creati; quamam amorem dari sine gratia, nihil vetat.

Denique si Deum laudemus per opera non facta ex Charitate, sive casta Dei dilectione, ergo secundum principia Augustini, per opera quæ fiunt ex cupiditate. Nam primarium & evidens Augustini principium est: *aut cupiditate aut Charitate*, sed inauditum est quod Deum laudemus per opera facta ex cupiditate sive concupiscentia, ergo non nisi per illa quæ fiunt ex Charitate sive casta Dei dilectione. Amor enim creaturæ rationalis, ut latè ostensum Conclus. secunda in Thesibus nostris de Charitate, adæquatè dividitur secundum verissima August. principia in castam Dei dilectionem sive charitatem, & cupiditatem sive concupiscentiam. Quâ unâ divisione stabilitâ, corruunt omnia quæ in Anti-thesi 4. & in aliis ejusdem Auctoris Thesibus ex August. perperam fuerunt allegata pro sententia negante obligationem referendi actus in Deum. Etenim cum nunquam licet agere ex cupiditate sive concupiscentia; semper agendum est ex Charitate sive casta Dei dilectione: hinc ab illa divisione putat Anti-thesium Auctor nos deterrere per ordinarium suum Sophisma: *ita Bajus, ita Lutherus, &c.* simili nimirum altu, quo famosum discrimen inter donum perseverantiae primi & secundi statu, et si ab Augustino adeò stabilitum, vult nobis facere terribile, quia gratiæ Molinisticæ summè inimicum, dicendo quod eodem usi fuerint Lutherus, Calvinus, &c. & hic quidem vigesies, quasi nonnisi hæretica dicerent Hæretici, quod evidenter falsum esse jam toties probatum est, & ne cum capit, aut non capi flagitur.

Hæc ad Anti-theses: si tamen earum Auctor plura, pro intellectu præsertim sententiæ S. Augustini de obligatione referendi actus in Deum petat, Deo donante habebit. Nos interea expectamus responsum ad quæstionem toties à nobis ei propositam: quid ad veram suam gemanamque ac practicam probabilitatem, quam veluti securam morum regulam nobis obtrudere vult, requiri & sufficere sentiat.

P E R T I N E N S.

**S**I nomen Christi ad rem aliquam affirmandam assumere velis, debes *in veritate & in iudicio & in justitia*: quomodo ergo Auctor Anti-thesium tum in his, tum in anteriores suis Thesibus, & principiè in magnificis earum titulis, adversus sententias Lovanniem obtestatus est autoritatem Vicariorum Christi *sine veritate, sine iudicio, & sine justitia?*

A L I V D.

**S**Ententiam de obligatione actus in Deum referendi nos sanctam, Auctor Anti-thesium nimis rigidam dicit: ut ut sit, non potest ille assignare rationem justam, cur plures conatus contrà sententiam illam adhibuerit, quâ pro extirpandis centenis aliis, quæ omniam laxitatem sunt scandalosæ & in praxi pernitosæ.

F I N I S.